



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

101. An & qualiter Patronus circa commoda temporalia, quæ juste percipere potest, possit disponere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

ubi sit, vel etiam cuius vita ignoretur, consulitur his, quorum interest, ut curent auctoritate magistratus deputari administratorem omnium bonorum, & jurium hereditariorum, & hic administrator datâ vacatione præsentat. *Lott. n. 45. & seq. ex Gamb. de off. leg. l. 4. rubric. de potest. legati in commendam benef. n. 35.* qui & per præsentationem factam ab huiusmodi procuratore censetur consumptum jus præsentandi pro ista vice, ut deinceps non attendatur præsentatio facta per ipsum principalem supervenientem, eò quòd cum præsentatio sit fructus juris patronatus, non potest administrator amittere perceptionem hujus fructus interim obventi hereditati, quam administrat. *Lott. n. 48.*

7. Denique hanc inter procuratorem patroni Ecclesiastici, & procuratorem patroni laici facit differentiam *Lott. l. 2. q. 19. n. 23. & 6.* citans *Azor. p. 2. l. 6. c. 14. q. 6.* (qui tamen ibi nihil de hoc) & *Roram in Calagur. benefic. 14. Maii. 1619.* quòd isti affirmanti medio juramento de legitimo impedimento sui principalis non creditur, nisi ad hoc habeat speciale mandatum.

## PARAGRAPHVS VII.

### De commodis & prærogativis patronatus.

*Quaestio 100. An. & qua temporalia ratione juris patronatus sibi competentis exigere possit patronus ab Ecclesiis, vel etiam presentatus jure forte speciali?*

1. Respondeo ad primum: primò prohibitum est sub pœna excommunicationis ferenda, ne patroni vel advocati Ecclesiarum in recognitionem juris patronatus vel advocatiz aliquid ab iis exigant, neque tributa, vel collectas militum, vel ullum servitium v. g. alendi canes venaticos, vel alia jumenta, iis imponant; neque ullis aliis oneribus, vel exactionibus gravent; quia talia à subditis exigunt, si que huiusmodi onera imponi solent, Ecclesiis autem ejusque ministri non subjiciuntur sæculari potestati. *Pirh. ad h. t. n. 42.* juxta *c. praterea. h. t. & Abb. ibid. n. 4.* item juxta *c. 1. de censibus.*

2. Secundo: potest tamen patronus, uti in fundatione, sibi reservare cum auctoritate & consensu Episcopi pensionem aliquam annexam (quæ tamen moderata esse debet, spectatâ fundationis & reddituum ecclesiæ quantitate, ita ut dos ecclesiæ necessaria non diminuatur per hoc, & si ex post facto talis reservata & imposta pensio fieret multum onerosa ecclesiæ, reducenda erit ad debitam moderationem) ita & eam dein exigere. *Pirh. loc. cit.* citans *Abb. in c. praterea. h. t.*

3. Respondeo ad secundum: patronus à præsentando nihil temporale exigere potest, nisi quod in ipsa fundatione constat impositum. *c. sicut. de supple. neg. prel. & c. praterea. h. t. Barb. juris Ecclesiast. l. 3. c. 12. n. 201.* Et est simoniaca præsentatio, dum aliquid datur vel promittitur pro præsentatione. *Barb. ibid. num. 202.* citans *c. veniens. de testib. & ibi Decium, & Abbat. Roch. de jurep. v. & utile q. 3. n. 19.* *Lamb. l. 2. p. 1. q. 9. a. 8.* etiam si id fiat præsentato ignorante. *Barb. ibid. n. 203.* juxta *c. nobis. de simonia. & c. permult. de elect.* non tamen erit simoniaca, si fiat sub conditione seu onere celebrandi missas; nisi fortè onus mis-

sarum impositum præsentato spectaret ad ipsum præsentantem, cum per tale pactum is relevaretur ab illo onere. *Barb. n. 203.* juxta *decis. Rotæ. in Romana juris p. 20. Decemb. 1600.* multòque minus erit simoniaca facta sub conditionibus, quæ de jure insunt, seu spectant ad institutum in beneficio, v. g. ut defendat jura beneficii, recuperet bona, congerat in unum scripturas attinentes ad beneficium. *Barb. n. 204.* juxta eandem *decis. & Lamb. l. 3. q. 2. n. 2.* ac denique simonia non erit, patrono gratis, & absque pacto aliquid dare; uti quandoque ob dati exiguitatem præsumi potest fuisse donum liberale & gratuitum. *Laym. in c. praterea. de transact. n. 2.* verum vide de hoc dicenda accuratius in parte 3.

*Quaestio 101. An. & qualiter patronus circa dicta commoda temporalia, quæ jure percipere potest; quia v. g. tempore fundationis cum consensu Episcopi sunt reservata, vel ex antiqua consuetudine legitime præscripta obtenta, possit disponere?*

1. Respondeo primò. Si tales redditus aut commoda sunt certa & determinata, v. g. certa pars fructuum, vel certa pensio annua, tunc possunt vendi aut locari alteri, qui illa percipiat nomine & auctoritate patroni; ita ut titulus seu jus patronatus maneat penes ipsum venditorem vel locatorem; quemadmodum commoditas usus fructus vendi potest alteri jure usus fructus remanente penes usufructuarium. *l. necessario. ff. de peris. & comm. rei vend. Pirh. n. 41.* argumento *c. ultim. ne pralatus vices suas.*

2. Secundo. Si redditus illi aut commoditates sunt incerti, vendi quoque possunt, sicut vendi possunt fructus incerti, ut jactus retis, fructus nascituri. *l. si jactum. ff. de act. Empt. Pirh. ibidem.* citans *Jo. And. & Abb. in c. praterea. h. t. & Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 22.*

3. Tertio: Si tamen dicta commoda sunt opera, seu præstationes, non absolute reales, sed personales debita personæ patroni, v. g. ut alimenta ei præstentur, vel ut ipso adveniente vel transeunte, Ecclesia vel ejus subditi vecturas aut angarias præstent, hæc vendi non poterunt alteri; quia inherent personæ patroni, cui talia obsequia debentur; præterquam quòd id cedat in magnum præjudicium Ecclesiæ, si tales exactiones venderentur aliis; qui majoris lucri vel commodi causâ plus vexare solent Ecclesias & earum subditos. *Pirh. ibid.*

*Quaestio 102. Quæ sint commoda patroni ordinaria?*

Respondeo: debita ei honorificentia & præstatio alimentorum; dum eget, *c. nobis. hoc. tit.* circa quòd secundum observandum; dum plures sunt patroni, omnibus subveniendum esse secundum qualitatem personarum; præcipue tamen ei, qui plus dedit Ecclesiæ; fundando vel dotando. *Pirh. n. 37.* citans *Zoëlium ad hunc titulum. n. 28.* Observandum etiam ex *Surdo de alimentis. tit. 7. q. 32. n. 6.* patrono ingrato non competere hoc emolumentum alimentorum.

*Quæres 103. in quo consistat debitus patrono honor seu honorificentia, quam, ut Lott. l. 99. n. Gelas. Papa. c. pia mentis. 16. q. 7. vocat processionis aditum. Clem. 3. in c. nobis. h. tit. honorem processionis?*

1. Respondeo in sequentibus. Primò: quòd debeatur illi honoratior locus in processionibus (v. g. postremus prope prælatum, nisi in illa provincia sit major honor præcedere, quam se-